CASTALIUS CRACII PARNASSI

IN

GEMMIFEROS AMNES

IX. VV. DD. PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATIS

DUM

In Alma Universitate Cracoviensi

PER

Clarissimum & Excellentissimum Dominum,

D. M. VALENTINUM IOSEPHUM LURENSKI,

Philosophiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Collegam MINOREM, ad Collegium Juridicum Vocatum, Apostolicum NOTARIUM,

Præsente Magnorum Hospitum Coronâ AA. LL. & Philosophiæ BACCALAUREI Ritu Solenni crearentur;

AB

IGNATIO MIKLASZEWSKI,

Ejusdem Laureæ Candidato,

Metrô & Calamô gratulatoriô

DIDUCTUS.

Annô Domini 1725. Die 24. Martij.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Stemma
CELSISSIMI PRINCIPIS
ILLUSTRISSIMI
&
REVERENDISSIMI
DOMINI.



AGNUS Gradivi Patriam defendit ab æstu,
Castalios fontes gemmiferosq; bibat.
Velleris aurati quotquot sua stamina gestat,
Amnes tot Gangis tot numeretq; Tagos.

FRANCISCUS MIKLASZEWSKI,
Rethorices Auditor.

CELSISSIMO PRINCIPI, ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO, D. CONSTANTINO FELICIANO IN SZANIAWY SZANIAWSKI,

DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ, EPISCOPO CRACOVIENSI, DUCI SEVERIÆ, Vniversitatis Cracoviensis CANCELLARIO.

PRÆSVLEA Tua Cruce à temerario absolvi cupio ausu CELSISSIME PRINCEPS, quòd primum mei Philosophici honoris gradum meq; totum Tuis beneficis substerno plantis. Facio id non ideo, ut hic in Artibus gradus à Tuo Gentilitio

litio calcatus AGNO altiorem mihi elevetur in aſcenſum, ſed quia primus eſt, Tuo dicandus AGNO, qui pridem factus eſt immaculati Primitiæ AGNI & victima toti gratiſsima Cælo. Licet verò Divinioribus ſit immolatus Aris, Gradivo tamen & Bellonæ, quam dexterrimè ſpirat, ſacratum tota Polonia evincit. Suſtinuit ARIES hic non unum pro ſua Patria & Eccleſia impetum, & nunquam ejus fortiſsima vacillârunt cornua; ex quibus veriùs quàm ex Amaltheæ cornucopijs omnis in Rempublicam felicitas promanat. Mitis meretur vocari AGNVS, ſed hoſtibus leo terribilis, cujus conſpectu tanquam timidi lepores in fugam aguntur. Gerit ſemper non ſibi, ſed publico bono auream lanam, qua habet Senatus purpuras, Rota Equeſtris Togas, Bellona ſagum. Vbiq; à magnis Prædeceſsoribus cæpta gloria, in Te PRINCEPS maxima relucet. Dicerem Aborigenes Tuos Atavos & Avos magnumq; Genitorem Mavorti propterea militâſse, ut Tibi bello captæ Tiaræ in ſpolium venirent, ſed jam Orbi conſtat Te meritîs pro-

priîs

priis summos titulos adæquasse. Ante Curules Senatorias, jam magnus in Republica Stator, jam Pater Patriæ esse merueras, non vocari. Inter purpuratos Regni Proceres verè FELICIANVS, quia ubiq; CONSTANTINVS. Ad Vladislaviensem Infulam ideo tantùm Regnante nobis feliciter SERENISSIMO & INVICTISSIMO AVGVSTO II stimulante, processisti, quia in arduis negotiis plurimùm valens. Eo tempore benigno Numinum favore Orbi Lechico datus, quo illi Intelligentia Motrix optabatur, quo implicatissimi difficultatum nodi Macedonem postulabant. Mars internus externusq; fulminabat Vrbes, domorumq; tecta, villas in favillas vertebat, undiq; in liberum populum gravibus vinculis sæviebat. Mutuis vulneribus se ipsos conficiebant Cives, interq; Majestatem & libertatem maximum discrimen erat. Ilias fermè malorum tota Polonia & calamitatum theatrum funestissimas nonnisi repræsentabat scænas;

 sed

ſed hæc ne caderet à culmine Troja, ſuum Te CELSISSIME PRINCEPS Hectorem invictum animo, ſuum Priamum conſiliô magnum, ſuum Atlantem habuit infractum. Revocaſti militem ad priſtinam diſciplinam, imô in meliorem ſtatum reduxiſti. Sedâſti magnas inter Cives diſcordias, explicuiſti quæ Majeſtati reverentia, quæ libertati conſervatio debetur. Pedô PRÆSVLEO in pedem vertiſti pericula, & pacis almæ oleas Sarmaticis Campis implantâſti. Crucis Tuæ ſignô extra limites Regni pepuliſti ſiniſtra, & ſub Te CONSTANTINO triumphalia Polonis inſignia erexiſti. Sanè Tibi ſe totam Polonia debet, Tibi ſuos Cives ab ultimis ſervatos ruinis. Tantus hoſtium Triumphator, ſimulq; cordium Polonorum Victor Cracium Vavellum alterum olim Sarmatiæ Capitolium ingreſſus, ſub majori Inſula Ducaliq; Mitra grandiores moliris curas. Divorum Aræ meliori ut redoleant thure, Paſtorali provides vigilantiâ, gladiumq; Severi-

veri-

veriensis Ducatûs ita optimè stringis ut sceleri timor & certum virtuti tutamen præsidiumq; adsit. Vitam Tuam CELSISSIME PRINCEPS discutias totam, nonq; Tibi, sed bono Te publico natum credito, quod ita omnes profitentur. Vndè magnæ Tuæ Prosapiæ Genus altum est, sed in altius gloriæ culmen Te PRINCIPE sublimatur. Quicunq; sunt apud Lechicum Orbem in stupore summaq; æstimatione, eruntq; SZANIAVII, illorum magnitudo, Tuorum altitudine meritorum mensuratur & mensurabitur in ævum. In omnibus illis Divinior virtus nisi Cælestia & maxima spirat, in Te tota Cælestis est, & ita sublimis ut ingeniorum conceptu nequeat attingi. Quare totus in Tui venerationem desino PRINCEPS CELSISSIME Castalium hunc in gemmiferos diductum amnes ad Tuum gratiosum derivo sinum, quem cum suo Cracio Parnasso Tuus beneficus alluat favor. Subijcio profunda cum submissione PRÆSVLEIS plan-

tis honoris mei Philoſophici gradum, & ut eminentiſſimos PATER Patriæ, Eccleſiæ grande decus, columen & præſidium, boni publici Stator, tutamenq; maximum, felix, vitâq; longævâ beatus conſcendas honores, non deſino vovere

Celſitudinis Veſtræ, Illuſtriſsimæ & Reverendiſsimæ Dominationis,

Servus humillimus & cliens

IGNATIUS MIKLASZEWSKI,
AA. LL. & Philoſophiæ Baccalaureus.

THAUMATURGO
GRATIARUM
FONTI
Sanctitatis & Sapientiæ
ABYSSO
D. JOANNI
CANTIO
Regni Poloniæ, & Vniversitatis Cracoviensis
PATRONO,
Copiosis Cælestium favorum rivulis
Arenam Literariam & Lechicum Campum riganti,

ODE VOTIVA
CUM LEMMATE
Veniunt hoc flumina Fonte. Statius

SIderum Princeps decus & Polorum,
Vlx suos sparsit radios in Orbem;
Illico magna ex minimis oriri
Posse probantur.
Parva scintillæ renitet favilla,
Attamen flammas, tumidos & ignes,
Apta non desint alimenta, solùm.
Edere svevit.

Sæpè non magno fluvius peramplus
Fonte procurrit, rapidis & undis
Vasta Neptuni Thetidosq; Regna
Implet & auget.
CANTIUM fonti similem fatemur,
Gratias per quem spatiosus Orbis
Haurit immensas, habet & quotannis
Mille favores.
Monte de celso scatebras capessunt
Fluminum cursus: dedit & beatas
CANTIO cunas Lechici remotus
Angulus Orbis.
Fontibus quondam levior vetustas
Reddidit cultum; Tibi Doctor Alme
Debitas cuncti damus ex profundo
Pectore laudes.
Mos enim quemvis jubet, ut coronet,
Quos bibit fontes: nihil est in Orbe
Iustius, quando sequitur favorem
Umbra favoris.
Plurimas & nos Pater & Patrone
Gratias à Te tulimus necesse,
Ut Tuum Nomen veneremur omnes
Poplite flexo.
Sicut Ægypti populus frequenter
Haurit ex Nilo; ditio Polona
Non secus tollit bona cuncta de Te
Fonte JOANNE.
Fons es ó CANTI! properamus ad Te:
Irriges nostros animos tenellos
Rore doctrinæ, placidè virebunt
Omne per ævum.
Gratijs tantis nimium beati
Ad Tuas aras, memores earum
Sæpè fiemus, pia vota dando,
DIVE JOANNES.

ILLUSTRIBUS CLARISSIMIS & ADMODUM REVERENDIS DOMINIS

DD. EXAMINATORIBUS

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. GREGORIO FILIPOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Regio Cursusq; Vladislaviani & lingvarũ Exoticarum Professori, Collegæ Majori Ecclesiarum; Collegiatæ S. ANNÆ Canonico, Parochialis in Pobiedr Curato ac interea Philosophicæ Facultatis

DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. MATTHIÆ FEDEROWICZ,

Philosophiæ Doctori, Regio Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum; Collegiatæ S. ANNÆ Scholastico, Parochialis in Ianina Curato, Vniversitatis PROCURATORI,

Clarissimo & Excellentissimo Domino

D. M. VALENTINO LURENSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, ad Collegiũ Iuridicum Vocato, Apostolico NOTARIO.

Rhenus Nobilis fluvius ex Alpibus oriens, Belgas à Germanis dividens in Oceanum septemtrionalem tribus Ostijs influens Virgilio lib: 8. testante, ab Authore offertur;

CUM LEMMATE

Manant de sidere fontes. Manilius.

CEssêre Nives, veris honos redit,
Cælum serena luce potentiùs
Splendescit & nitore cuncta
Florigero decorantur Arva.
Mulcet Favoni temperies comas,
Quas pandit arbor, terra repagula
Confringit, ut tandem supernè
Flore novo satiemur omnes.

Stetêre fontes, quos glacialibus,
Hyems ligavit torrida vinculis,
Modò susurrantes recurrunt
Ac strepitu recreant colonos.
Et noster Amnis profluit ocyus,
Quando fluentis, sat locupletibus
Adest repletus gratiarum,
Quæ toties bibit ore pleno.
Non jam superbis Alpibus abditum
Adscribit ortum, prodijt ex quibus;
Vobis sed ô magni Patroni
Innumeris titulis canendi.
Novas meretis laudis adoreas,
Quas Musa vobis Præside cum suo
Decantat, aptis munerando
Carminibus benefacta vestra.
Tu FILIPOWSKI primus in ordine,
Tu gemma nostri splendida sæculi
Ades DECANUS purpuratus,
Qui regimen regis eruditum.
Te si tacerem carmine debito,
Meisq; chordis; ipsa tamen canet
Te Musa sæclis æviternis
Ore Tuo cumulata docto.
Quidquid loqueris cuncta celebria
Adsunt, fatentur Te Cathedræ Sophum,
Doctum sed Exedræ Periclem.
Contiguos memorant per Orbes.
Promptus lacertos mille laboribus
Submittis, ut Te magnanimum probes
In arduis Virum; seniles
Te superi foveant per annos.
Pares mereris laudis idoneæ
Referre honores, qui paribus nites
In Orbe docto FEDEROWICZ
Dotibus ingenij profundi.

Excel-

Excelſa ſcandis culmina gloriæ,
Scientiarum notus acumine
Qui Rhetorum Vatumq; dites
Viſus eras recreaſſe gazas.
Hæ ſi deeſſent, dat Tibi divites
Stagyra laudes, cujus in area
Curſum biennalem legendo,
Prælia docta ſatis movebas.
Tantus videris nunc Academico
In Orbe, quantum Te loca publica
Quantumq; Magnatum ſenatus
Vidit & ſtupuit videndo.
Iam Te ſilebo; Metra LVRENSCIO
Dicabo Vates, ut ſciat ultimus
Orbis Britannus, diſcat ingens
Danubius Simois & Hebrus.
Hic laureato Palladis inclytæ
Cinctus corymbô, Metropolim celer
Primam Poloni adivit orbis
Dotibus ingeniôq; clarus.
Ibi Profeſſor ſat ſtetit optimè
Pro Gentis almo nomine ſæpiùs
Laudes meretur; Tullianam
Quòd referat gravitate ſvadam.
In has abiret penna diſertior
Ni fama nomen vectet & omnibus
Hunc poſteris dicant ſacrati
Pontificum Canones celebrem.
Ergo Virorum maxime Ternio
Tibi ſuperbas ceſſo Panegyres
Formare, verum corde grato
Vota fero numeris tenellis.
Longos per annos vivite Neſtores
Semper ſecundi: Iuppiter annuat
Votis ſupremus, qui rependat
Debita pro meritis laborum.

CASTALIUS
CRACII PARNASSI
IN
GEMMIFEROS AMNES
IX. VV. DD. PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATIS
DIDUCTUS.

II. V. D. ANTONIO CASIMIRO
de Strzegoćin
STRZEGOCKI,
Eridanus Italiæ fluvius ab Alpibus veniens
CUM LEMMATE
Cælo gratissimus Amnis. *Virg: Lib*: 8. *Æneid*:

PEgasides celso Parnassi surgite monte
Atq; cito passu relictis dulcibus auris,
Præside cum vestro nostras curratis ad oras.
Dotibus egregiis STRZEGOCKI Palladis Orbe
Claret, ei carmen festivum psallite quæso,
Huic Genus à Proavis magnis, illustre Paternæ
Nomen adest virtutis, & ipse probissimus esse
Contendit; nulli non notus nomine magno.
Comparet Aonidum Princeps plectrumq; prehendens
Iam manibus cytharam jam pectine pulsat eburno,
Vt laudes resonare queat, quas facta reposcunt
Dignaq; stoa sophûm quem docta Periclem
Rostra probant, cunctiq; vident in dotibus almum.
Ergo sit felix adversæ sortis in annos
Nestoreos voveo non noscat; semper amicam
Fortunam teneat, Cælo gratissimus Amnis
Eridanus placidas illi despumet Arenas.

III.

III. V. D. PAULO KOSICKI,

Tagus fluvius Lusitaniæ aureas habens arenas immixtas secundum Plin: *Lib*: 3. *Cap:*

CUM LEMMATE

Tempestate sua pretiosus. Claudianus

AVde laurigeræ filia Phocidos,
PAVLO vividiùs psallere carmina.
Hoc virtus meruit, facta decentia
Hoc poscunt, quibus in Palladis area
Sat pulchrè nituit tempore quolibet.
Primâ bella manu movit, aheneum
Hostem jam domuit mentibus abditis
Infensum. Quoties arma scientiæ
Vibravit, toties visus in area
Est victor celebris mentis acumine.
Ergo tramite quo currere protinùs
Cæpisti, hoc properes, culmen honoris &
Attinges citiùs, quod Tua gloria
Majorumq; Genus Nobile comperit.
Semper lene fluens Hesperius Tagus
Tempestate sua qui pretiosior
Est cunctis fluvijs; gemmiferas Tibi
Per longum spatium volvat arenulas.

IV. V. D. ALBERTO BIEGACZEWIC,

Hermus fluvius minoris Asiæ aureas arenas trahens. *Plin: l. 6. Cap: 29.*

CUM LEMMATE

Dives propellitur unda. Statius.

JActet superbas divitias vigil
Mercator, aut quæ divitis Indiæ
Pactolus auratusq; volvit,
Vorticibus Tagus æstuosis.

Insignis alma miles adoreâ
Ostentet amplas hostibus exteris
Prædas receptas, & trophæa
Mille ferat cataphractus Orbi.
Majora longè præmia de hostibus
Menti nocivis omine prospero
Semper BIEGACZEWIC tulisti,
Eximio renitens decore.
Carus fuisti Pieridum choro,
Dum militâsti non sine gloria,
In literis sacrata arena,
Eloquij celebris cothurno.
Ergo secundis passibus expete
Honoris altum, quod meritis Tuis
Pallas paravit erudita,
Hoc Tibi corde precor faventi.

V. V. D. MARTINO WROBLEWICZ,

Pactolus fluvius Lydiæ deferens aurea ramenta.
Cleud:

CUM LEMMATE

Rutilis perdives arenis. *Claud:*

UMbria præcipitem sileat jactare Metaurum,
Gallum Lycaonis solum
Hyppanidemq; scytha.
Est certè pretium & decus ingens amnibus istis,
Cum nomen illorum vetus
Semper in orbe manet.
Non tamen & rutilis notus Pactolus arenis
Oblivioni traditur,
Tectus ut esse queat:

Lydia

Lydia dives opum, varijs contermina Regnis
Intra ſuos fines eum
Continet atq; locat.
Hunc ergo MARTINE Tuis virtutibus amplis
Dicare cenſui, quibûs
Non ſine laude nites.
Eſt pudor & pietas in Te moresq; modeſti;
Molem puſilli corporis
Mente levare ſtudes.
Vive precor felix ſub lauru Palladis almæ,
Ac dotibus Tuis detur
Magnus honoris apex.

VI. V.D. FRANCISCO RYCHTALSKI,
Hydaſpes fluvius Indiæ per Parthos & Mædos fluens. *Luc: Lib: 6.*

CUM LEMMATE.

Placidis prælabitur undis. Luc:

COgnatus Cælis alios delectet Olympus,
Et ventis obnoxius Hæmus.
Flor ida permultis retegat ſpectacula Tempe,
Ac alios demulceat Ida.
Detineat ſi quem Parnaſſus colle bicorni;
Aut florens vel dulcis Hymettus.
Te FRANCISCE rapit gemmîs impletus Hydaſpes,
Qui placidîs prælabitur undîs.
Splendidior glacie vitroq; eſt clarior omni,
Cuncta levat recreatq; ſuſurro.
Hunc offerre Tuis meritis Franciſce decebat,
Vt gemmîs Te ditet honoris,
Præmia facta tui longè majora requirunt,
Palladio quibûs Orbe refulges.

Interea referas hæc à me dona favoris,
Posteritas majora parabit.
Hûic ego cedo libens, Tu solum sæcla per ampla
Incolumis faustusq; perennes.

VII. V.D. FRANCISCO MATLIKIEWICZ,
Ticinus fluvius Insubriæ in Eridanum fluens, à quo Ticinum Urbs nomen accepit. Phil:

CUM LEMMATE,

Secundo defluit Amne. Virg:

IN loco digno celebri vel Vrbe
Publicam lucem radiantis Orbis
Ingredi, magnum decus est & ingens
Gloria multis.
Tu MATLIKIEWICZ celebri sat Vrbe,
Cûi dedit quondam nova claustra Cracus,
Prodis in lucem, titulos mereris
Mille referre.
Emines pulchris Iagelonis Orbe
Dotibus, Pallas trabeata discit,
Præmîjs illas decorare dignîs
Tempore certo.
Ergo millenos sine nube soles
Sorte felici numeres beatus,
Nulla succesûs patiaris unquam
Ferre pericla.
In salebrosas Phàëtontis undas
Influens amnis Ticinus beatas
Insulas pangat Tibi tum secundo
Defluat Amne.

VIII.

VIII. V.D. JOSEPHO RYMINSKI,

Padus fluvius è gremio Vesuli montis celsissimũ in cacumen elati profluens, nulli amnium claritate inferior. *Plin: l. 3. Cap: 16.*

CUM LEMMATE,

Rivos è sidere ducit. Manilius.

PRimos continuò Montibus arduis
Rivos eliciant flumina plurima,
Istos sidere solus
A celso Padus inchoat.

Talem ferre Tuis dotibus inclytis
RYMINSKI statui, qui nihil eligis
Non summum, cupis esse
Multis ingeniô prior.

Docti Virgilij Metra placent Tibi,
Quem felix calamo cordis anhelitu
Exoptas imitari,
Dignus Sicelidum chorô.

Clares carminibûs' sed tamen æmulus
Magnis esse studes eloquio Viris,
Vt non ultimus Orbe
Sistas Palladis ocyus.

Quare grande decus vive Parentibus,
Magnis vive diu faustus honoribus,
Qui sudore parantur,
Amittuntur & otio.

IX. V.D. JOANNI ŁYCZENSKI,

Nilus septem Ostîjs fluens Ægypti fluvius, quam sua inundatione feracem reddit. Servius.

CUM LEMMATE,

Non est fæcundior ullus. *Virg.*

ULtimus in carmen ŁYCZENSKI prodis amicum,
Vt omnium claudas agmen fortissimus.
Semper enim fortes animô studiôq; valentes,
Finis requirit atq; deposcit Viros.
Talem ŁYCZENSKI Te cunctis esse remonstrat,
Quem pertulisti non semel gravem labor.
Te decertantem toties Lycæa Sophorum
Norûnt, probârunt atq; rostra Tullium.
Te decet insignis gravitas, prudentia, candor
Morumq; blanda circumscribit comitas.
Egregîjs certè resplendes dotibûs, illas
Felicitas omnis circumstet, protinus
Ægypti fluvius septem per ostia currens
Tibi secundo semper amne defluat.
Faustus & incolumis grandævum Nestora vincas,
Gratissimo Tibi precabor pectore.

I. V. D.

I. V. D. IGNATIO MIKLASZEWSKI,
Primæ Laureæ Candidato
AUTHORI OPERIS

In vim gratitudinis & congratulationis

ALBERTUS BIEGACZEWIC,

Arimaſpum fluvium ſcythiæ in Aſia aureis arenis abundantem. *Luc: Lib: 3.*

Offert

CUM LEMMATE

Præſtantior omnibus unus. Homerus.

FLumina magna vides latè diffuſa per Orbem,
Fluctibus à liquido derivant æquore lymphas;
Aſt illas iterum diverſis fontibus auctas
Reſtituunt Pelago, labentes murmure grato.
Ingenium ſublime Tuum, mens docta profundè
IGNATI pelagus cenſetur; gurgite vaſto
E cujus veniunt in noſtras flumina laudes,
Non ſteriles cumulos vilis volventia arenæ,
Dite ſed auratas referentia littore gazas;
Quæ noſtram rutilo famam ſplendore decorant.
Quid mirum! cùm Tu non ſolùm nominis igne,
Non ſolùm virtute nites pretioq; laborum,
Quos, in docta acie generoſo corde tuliſti.
Eloquiô ſvavis, vernans ſermone diſerto
Atq; arcana ſophûm ſubtili mente reſolvens;
Aſt etiam Te clara Domus ſangvisq; Parentum
Nobilis illuſtrat longæva ab origine ductus.
Namq; Auguſtus adhuc dum Regni gemmea noſtri

F Sceptra

Sceptra Sigiſmundus, Lechicum ſoliumq; teneret,
Sileſijs clarus MATHIAS venit ab oris.
Nominis hic Auguſta Tui ſtirps atq; propago.
Inſignis meritis, generis ſplendore decorus,
Moſchorum terror; cujus per mille pericla,
Per multas cædes confuſæ ſtragis acervos,
Pectoris indomiti vires animumq; ruentem
Senſerat Vła, Połok, Nevel vicinaq; caſtra
Barbaricæ Gentis, Volgam Tanaimq; bibentis.
Auxerunt tandem famam poſt fata Nepotes
Patris, CHRISTOPHORVS, GEORGIVS atq; IOANNES,
GASPAR & amplâ laude vocalis Staneſilaus,
Oſtoiâ celebres inſigni ſemper Avito.
Verùm quidquid in his Orbis ſpectando Polonus
Obſtupuit, totum id majori luce coruſcat
In Genitore Tuo; Quem tollere laude decenti
Non opis eſt noſtræ; præconia ſæclâ parabunt.
Hoc niſi proferimus: fulges velut ignibus æther
Dotibus ingenuis; meritò dicendus aquarum
Oceanus, virtutes ex quo ſolis adinſtar
Emergunt, fluvijq; ſtrepunt pro laude perenni
Noſtrûm; Quos in te grati convertimus omnes.
Vnum præcipuè tamen, ex alijs qui dignior eſſe
Dicitur, & cunctos proprio ſuperare valore
In munus placidum damus, Illi vota ferendo:
Proſpera quæq; Tibi Fluviô hoc fortuna vehatur,
Cûi pro Favonijs ſit felix vita ſuperſtes,
Non alius portus, niſi ſummi ſemper honores.

Eidem

Eidem Authori operis
V.D. IGNATIO MIKLASZEWSKI
MARTINUS WROBLEWICZ

ex circumſtantia ſtemmatis accinit,
& Fluvium Gangem univerſam Indiam ſecantem unum illorum, qui profluunt de Paradiſo Ovidio 4. Metamorph: teſtante offert.

CUM LEMMATE,
Nitidis argenteus undis. Ovidius.

NAſcentem coluit Lunam Romana vetuſtas,
Nunc etiam Lunas pronus adoro Tuas,
Luna ſuum recipit ſplendorem à ſole coruſco
Hæ propriâ ſemper luce nitere ſolent.
Aureus eſt illis color, hoc quo climate fulgent,
Aurea nam Patriæ non niſi ſæclâ parant.
Inter eas nimiùm diſtrictus prominet Enſis,
Exacuit calamos, laudis in omne metrum.
Stemmatis in galea Pennæ cernuntur Avitæ,
Hæ MIKLASZEVII nomen in aſtra ferunt.
Vive igitur fauſtus veniens ab origine clara
Nulla nocere Tibi ſors inimica velit.
Ganges quem Tibi do nitidis argenteus undis,
Felici curſu gemmea dona vehat.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris & Admodùm Reverendi Domini,

D.M. JOANNIS LUKINI,

U. J. DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiarum Collegiatarũ; Vislicienis & SS. OO. Crac: PRIMICERIJ, Sławkoviensis PRÆPOSITI, Contubernij Regio-Jagelloniani PROVISORIS, Studij Almæ Universitatis Cracoviensis Generalis ac Vigilantissimi

RECTORIS.